

carunt, sed alio plane sensu. Etenim cum incorpoream quandam substantiam, concipere vix possent, quidquid existeret & a nihilo distingueretur, corpus vocabant, ita ut corporis nomine entia a nihilo secerne-  
re duntaxat intenderent. At corpus illud a materia sive corporea substantia perspicue distinguebant: cum affectiones illas, atque attributa, quæ corporeæ substantiæ sive materiæ conveniunt, ab ejusmodi corpore sejungerent, ideoque nominis abusu duntaxat errarunt. Ita Tertullianum excusavit S. Augustinus de Genesi ad litt. lib. 10, cap. ult. *Quia corpus esse animam credidit, non ob aliud fecit, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset.* His præmissis sit:

### CONCLUSIO.

*Mens humana est substantia spiritualis, seu a materia vel corpore distincta, atque diversa.*

Prob. 1 Pars, scilicet mentem humanam esse substantiam. Animam dicimus id quod in nobis cogitat; sed id, quod in nobis cogitat, est substantia. Et quidem experimur cogitationes in nobis continuo mutari, alias aliis fluxu perpetuo succedere; sed *mutabilia*, quæ enti insunt, *modi* dicuntur, & sine subjecto esse non possunt; ergo cogitationes sunt modi, qui sine subjecto esse non possunt. Illud autem subjectum est id, quod in nobis cogitat, quod proinde ali-  
quo